



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio XXII. De sacerdotio Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

13.
Obiectio 2
ex PP.
Resp.

qualitatem etiam nostram operam collocaturos.

Obijci possunt 1. varij Patres, qui videntur docere Christum in caelo non propriè orare.

Verum licet fortè pauci id velint, de varijs tamen citari solitis id non potest dici. 1. quia licet aliqui videantur dicere quòd orat pro nobis ostendèdo cicitates &c. non tamè negant alium modum, imò possunt commodè intelligi quòd etiam comprehendant, & quòd non velint Christum sine actu explicito censei illas repræsentare, sed petendo & explicando desiderium, vt per sua merita id nobis concedatur quod petit.

2. Quia plerique solum negant Christum iam orare in caelo eo modo quo solebat orare dum in hac vita mortali versaretur, nimirum cum signis humilitatis sese prosternendo, lachrymando &c. his vel similibus modis explicari possunt varij Patres attento eorum scopo.

Obiectio 3.

Obijci potest 3. quòd Christus in passione consummauerit opus nostræ redemptionis, & quòd post illam non amplius mereatur, ergo non est dicendus propriè orare. Conseq. prob. neque dici debet orare vt quidquam de nouo mereatur, neque vt eius merita applicentur, cum etiam ante passionem sit promeritus suorum meritorum applicationem; ergo frustra dicitur orare.

Resp.

Resp. concessio antecedente negando conseq. si enim eo non obstante quod opus nostræ redemptionis consummauerit in passione, dici possit interpretatiuè orare & interpellare, & Pater intuitu talis interpellationis aliqua concedat; quidni dici potest etiam expresse orare?

14.

Christus
nihil meretur de nouo.

Ad probationem consequentiæ Resp. non mereri quidquam de nouo, sed per orationem petere illam ipsam applicationem quæ meruit, & ita petere id quod meruit in passione. quamuis autem talis oratio non esset absolute necessaria, non est tamen inconueniens; quia Christus per hanc & ostendit charitatem in genus humanum, & submisionem erga Patrem, seu quod natura humana in illo sit Deo inferior.

Dices Christus per orationem impetrat, ergo meretur.

Resp. negando conse. q. si propriè loquamur de merito: quia communi iudicio ratio impetrationis in oratione distinguitur à ratione meriti, & impetratio propriè non est acquisitio præmij, sed obtentio beneuolentiæ.

Dices sancti in caelo orantes merentur de congruo.

15.

Ne de congruo quidem.

Resp. nisi sit quaestio de nomine, posse negari, si quis tamen de illis ita loqui velit, non est ita loquendum de Christo, cum dedecet illi tribuere meritum de congruo; secus est de impetratione, quæ potest illi tribui, & in omni sententia tribuitur saltem pro tempore quo in hac vita versabatur, quia illa potissimum nititur amicitia petentis.

Obiectio 4.

Resp.

Obijci 4. quòd Christo post resurrectionem data sit omnis potestas.

Resp. eam datam esse ante passionem, quæ non obstante si non fuerit indecens illum orare, non dedecet vt orat post resurrectionem, nec ita omnia sunt illi tradita, vt non semper maneat sub potestate Patris quoad humanitatem, & vt non possit illum orare, & petere varia quæ ad salutem hominum pertinent.

Obiectio 5.

Responso quadruplex

Obijci 5. ex 2. sententia sequi quod possimus petere à Christo vt orat pro nobis, quod nullo modo videtur concedendum.

Resp. id neq; magis sequi, neque maius adferre

incommodum quàm sequatur ex eo quòd oraret dum in hac vita versaretur; & quod in eo casu dicendum est, in præsentia similiter dici posse.

Resp. 2. nullo modo ita fieri posse, vbi esset periculum erroris Arii vel Nestorij.

Resp. 3. neque debere fieri in oratione publica quæ sit nomine Ecclesiæ, quia in illa consuetudo Ecclesiæ est in contrarium, quæ omnino est seruanda.

Resp. 4. etiam in priuata oratione omnino decentius esse vt non ita oremus; quia oratio dirigitur ad personam Christi, & per consequens ad diuinum suppositum, cuius non est orare, sed misereri. Præterea quando principes compellamus & aliquid ab eis petimus, filios honoramus excellentiori titulo eis conueniente, & proinde debemus etiam Christo tribuere quod perfectius est. si quis tamen bene norit distinguere & apprehendere Christum vt hominem secundum quod est minor Patre, & eundem Patrem potest orare; is potest petere vt Christus suas orationes Patri offerat.

QVÆSTIO XXII.

De sacerdotio Christi.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christo conueniat esse sacerdotem?



AFFIRMAT: quod intelligitur de sacerdote propriè dicto, pro quo

Notandum licet sacerdotis varia sint officia, vt patet ex Apostolo ad Heb. 5.

& ex S. Thom. hic, primum tamen eius munus esse offerre Deo sacrificium. Porro nomen sacrificij dupliciter sumitur: semel generatim & im-

propriè, de quo pluribus locis scripturæ agitur psalmo 49. *Immola Deo sacrificium laudis.* psalmo 50. *Holocaustis non delectaberis.* sacrificium Deo spiritus con-

tribulatus, & alibi, de quo etiam intelligitur quod 2. ad 4. habet August. de ciuitate Dei cap. 6. dicens, *sacrificium esse omne opus quod agitur in sancta societate in-*

hercamus Deo, velatum ad illum finem bonum quo beati veraciter esse possumus. In qua significatione omne opus virtutis siue internum siue externum, sacrificium dici potest. Huic sacrificio respondet sacer-

dotium generale commune omnibus Christianis, de quo intelligitur B. Petrus cap. 2. prioris suæ epistolæ vocans omnes fideles *sacerdotium sanctum*; item, *peccata regale sacerdotium.* De quo etiam aliqui accipiunt id quod habetur Apoc. 1. *Fecit nos regnum & sacerdotes Deo*, quamquam Ribera ibi aliam habeat sententiam.

2. Sumitur sacrificium propriè, cuius rationem explicamus q. 83. art. 1. dub. 1. cui respondet sacerdotium propriè dictum, quod est potestas quædam offerendi sacrificij prout est, quid distinctum ab alijs virtutum operibus.

De sacerdote propriè sumpto intelligitur resolutio S. Thom. quæ est de fide, psalmo 109. *Tu es Christus, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

quod iuxta communem expositionem intelligitur de Christo, ad Heb. 4. *habentes Pontificem maiorem, qui penetravit cælos Iesum Filium Dei.* Idem patet ex cap. 5. 7. 8. & 9. eiusdem epistolæ, ex Concilio Ephes. can. 10. Trident. sess. 22. capit. 1. & 2. estque communis doctrina Patrum.

Prob.

Prob. ex eo quod tam in ultima cena, quam in cruce, verum & proprie dictum sacrificium obtulerit, ut patet ex Trid. cap. 1. citato, & de sacrificio crucis patet ex Apostolo ad Heb. locis citatis. Adde quod, ut Concilium Trid. cap. 2. sit primarius offerens in sacrificio nouae legis.

Nec obstat communis obiectio quod Christus seipsum non interemerit in cruce, quia de ratione sacrificij non est ut ipsemet sacerdos victimam physicè mactet, sed potest ab alio mactari: licet ergo Christus non se occideret, potest dici sacrificium obtulisse in cruce, quia libere posuit animam suam ad Dei cultum, & libere se morti obtulit, tamque sustinuit cum posset se subducere & impedire ne flagella ei nocerent, vel vita tormentis ei eriperetur.

Dices inde sequi martyres potuisse dici sacrificium offerre, quando mortem pro Christo subeunt.

Resp. negando sequelam, quia non fuerunt sacerdotes ad id constituti, pro quo

Notandum quod quemadmodum Deus potest praescribere modum & ritum quo colatur, ita ut nullus alius censetur legitimus; ita possit praescribere ministrum legitimum cultus sibi deferendi: cum ergo in noua lege nullus alius sit constitutus minister sacrificij praeter legitime ordinatos in Ecclesia, & ordinatos ad sacrificium altaris, sequitur nullum in ea ordinari ad offerendum sacrificium mortem subeundo. Idem discursus proportionem fieri potest de lege mosaica, in qua sacerdotes constituebantur origine ex certa tribu, respectu materiae à Deo praescriptae.

Ex his enim patet mortem martyrum non habuisse rationem sacrificij nec eos potuisse dici sacrificasse mortem subeundo. Aliqui alias rationes addunt, sed haec abunde sufficit.

Aduerte 1. quod Christus non fuerit sacerdos successione, sicut sacerdotes Aaronici, neque exteriori vinctione, sicut sacerdotes nouae legis: sed ratione longe sublimiori, scilicet ratione vniuersalis hypostatice, per quam eius humanitas vnita est naturae diuinae & delibata est oleo diuinitatis. Vnde ab initio incarnationis fuit sacerdos sine vlllo suo merito.

Aduerte 2. quod Christus tanquam summus sacerdos non solum potuerit sacrificium offerre, sed etiam summam habuit potestatem, & potuerit Ecclesiam instituere & condere Sacramenta, sine quibus nullus salutem consequi posset; potuerit homines varijs modis sanctificare, potuerit pro bono animarum leges condere; denique ad finem spirituale vicarius sibi substituere qui Ecclesiam gubernarent, & modis ab eo praescriptis sanctificarent.

Quaeri verò potest an Christus sit sacerdos ut Deus, an verò ut homo? videri potest Bellarm. lib. 5. de Christo cap. 3. ubi videri possunt haec de erroribus haereticorum nostri temporis: dicunt enim eum esse sacerdotem secundum naturam diuinam.

Sed fide certum est esse sacerdotem secundum naturam humanam, ita ut Christus, seu, Deus subsistens in natura humana tanquam in principio elicitiuo actus sacrificandi sit sacerdos.

Prob. natura diuina non habet superiorem quem possit colere, apud quem possit intercedere & mereri; ergo illa non est principium ratione cuius Christo competat esse sacerdotem; cum, quia sacerdos, Deum coluerit & nobis sit meritis.

Vnde licet valor sacrificij ut actionis sumeretur ex dignitate personae, scilicet Verbi, ipsa tamen actio non procedebat à natura diuina tanquam principio quo & elicitiuo; quod potest confirmari ex Ambrosio lib. 3. de fide cap. 5. dicente, idem sacerdos, idem & hostias & sacerdotum tamen & sacrificium humane conditionis officium est.

ARTICVLVS II.

Utrum Christus simul fuerit sacerdos & hostia?

AFFIRMAT; quod patet ex Apostolo ad Ephes. 5. dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam. Patet etiam ex Conc. Ephesino can. 10. & ex Trident. sess. 22. cap. 1. & 2.

Resp. affir. Ephes. 5. Conc. Ephes. Trident.

Ex quibus omnibus clarè constat, non solum eius humanitatem fuisse hostiam, sed totum Christum; quia ipse pro nobis est oblatum & mortuus. Conf. ex eo quod res in sacrificio crucis oblata, fuerit valoris infiniti; & illa eadem res incruentè immoletur in Missae sacrificio, ut patet ex Trid. cap. 2. citato.

6. Totus Christus fuit hostia, non verò sola eius humanitas.

Id tamen ratione cuius oblatum est in cruce & offertur quotidie in Missae sacrificio est humanitas, secundum quam in cruce mortuus est, & secundum quam ponitur sub speciebus per verba consecrationis; secundum corpus quidem ex vi verborum consecrationis panis, secundum sanguinem verò ex vi verborum consecrationis vini.

Idem ratione cuius oblatum fuit est humanitas.

Conf. quod in sacrificium offertur, seu hostia, debet immutari, igitur solum potest esse hostia, secundum eam naturam, quae est capax mutationis; qualis in Christo est sola natura humana. Vnde bene S. Th. in fine corporis dicit: Christus in quantum homo non solum fuit sacerdos, sed etiam bestia perfecta.

S. Thom.

ARTICVLVS III.

Utrum effectus sacrificij Christi sit expiatio peccatorum?

AFFIRMAT. Patet ex Apostolo ad Heb. 9. Et quidem de effectu sacrificij crucis, patet ex eo quod Christus mortuus sit ut nos à peccatis liberaret, & sub seruitute peccati constitutos redimeret; quod ex innumeris scripturae locis patet, & ex fine peculiari Incarnationis.

Resp. affir. Hebr. 9.

De sacrificio incruento similiter patet, tum ex Trident. sess. 22. cap. 2. tum ex forma consecrationis calicis; tum ex eo quod nostrum sacrificium contineat omnem vim quam habebant antiqua sacrificia. Vnde non solum est gratiarum actionis &c. sed etiam propitiatorium: de quo fusiùs in materia de sacrificio q. 83.

Trident.

Porro cum utrumque sacrificium conducat ad perfectam emendationem, sequitur effectum sacerdotij Christi non esse solum expiationem quoad culpam, sed etiam quoad poenam.

S. Thom.

Aduerte quod habet S. Thom. responsione ad 2. sacrificium quod quotidie in Ecclesia offertur non est aliud à sacrificio quod ipse Christus obtulit, sed eius commemoratio, non ita intelligi quasi in Ecclesia non sit verum & proprie dictum sacrificium incruentum, & quasi illud sacrificium nullam aliam vim habeat

7. Quo sensu sacrificium quod dicitur sit commemoratio eius quod Christus in cruce obtulit.

quam

quàm commemorare cruetum crucis sacrificium; sed eatenus dici commemorationem quòd non sit alia hostia nostri & sacrificij cruenti; sed vt Trident. cap. 2. citato sit eadem hostia, idem etiam offerens sacerdotum ministerio, solà offerendi ratione diuersa.

Adde quòd per nostrum sacrificium non comparatur nouum pretium, sed per illud applicetur iam comparatum per sacrificium crucis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum effectus sacerdotis Christi non solum ad alios pertinuerit, sed etiam ad ipsum?

Resp. neg.

8.

Non est dicendus pro se sacrificium obtulisse.

VIDETUR articulus de eodem effectu intelligi de quo præcedens articulus: in quo sensu facilis est responsio negatiua; cum enim Christus non potuerit peccare, non potuit esse particeps illius effectus sacerdotij. Potuit tamen esse particeps alterius, scilicet gloriæ corporis & exaltationis nominis: quia, vt dictum est supra cum ageretur de Christi merito, illa sibi per mortem promeruit; non tamen ideo dicendus est pro se sacrificium obtulisse, cum hæc sint solum minus principales effectus passionis.

ARTICVLVS V.

Vtrum Christi sacerdotium permaneat in æternum

Resp. affirm. Psal. 109.

9.

Variis sensibus æternitatis sacerdotij Christi.

AFFIRMAT. patet ex psalmo 109. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech;* item ex epistola ad Heb. Censet verò S. Th. Christi sacerdotium non dici æternum quòd oblatio daret in æternum, sed quòd fructus ipsius sacerdotij sit æternus, scilicet gloria.

Aliter etiam alij explicant æternitatem sacerdotij Christi: 1. quòd nullum aliud ei succedat, quemadmodum abolito sacerdotio Aaronico successit aliud. 2. quòd Christus sit sacerdos in æternum quia in æternum manet: quamdiu autem manet, manet sacerdos non electione, vel dono accidentali superaddito, sed propter vnionem hypostaticam perseverantem. 3. quòd oblatio hostiæ perseneret vsque ad finem sæculi; quòd verum est ratione sacrificij inueniunt.

Quis videatur maxime ad mentem Psalmiste. Trident.

Aduerte quòd licet singulæ explicationes sint veræ, & secunda sit ad mentem Apostoli ad Heb. 7. postrema tamen magis videatur esse secundum mentem Psalmistæ, vt deduci potest ex Trident. sess. 22. capit. 1. Ex eo enim quòd sacerdotium Christi non erat per mortem extinguendum, docet quòd Christus, declarans se sacerdotem secundum ordinem Melchisedech in æternum constitutum. Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini obtulerit, ac sub earundem rerum symbolis Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus vt offerrent præceperit; atque ita iuxta Concilium, sacerdotium Christi dicitur æternum, quòd is per ministros suos sacrificium inuentum vsque ad finem sæculi offerat.

ARTICVLVS VI.

Vtrum sacerdotium Christi fuerit secundum ordinem Melchisedech.

AFFIRMAT. quòd est de fide, vt patet ex psalmo 109. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Item ex Apostolo ad Heb. 5. & 7. pro cuius rei explicatione

Notandum. 1. quosdam Iudæos commentos fuisse Christum fuisse sacerdotem ordinis Leuitici, seu legis antiquæ; quòd sibi videntur colligere ex eo quòd Christus in templo disputauerit & vendentes ex eo eiecit. videri potest Suidas verbo *Iesus*.

Id verò falsum esse constat ex cap. 7. ad Heb. ex quo patet Christum non fuisse de tribu Leui, sed de tribu Iuda: in quo enim hæc dicuntur (scilicet Christo, de quo in præcedentibus agit Apostolus) *de alia tribu est, de qua nullus alius presbiter fuit. Manifestum est enim quòd ex Iuda oritur sit Dominus noster, in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est.* vbi vult docere Christum non fuisse sacerdotem Leuiticum.

Quæ verò afferuntur ad id probandum leuiores sunt momenti: legere enim vel etiam disputare in templo, non est sufficiens signum quòd aliquis fuerit sacerdos Leuiticus; cum etiam Paulus Act. 13. disputauerit in synagoga, qui tamen non erat sacerdos Leuiticus, cum esset de tribu Benjamin. Ex quo etiam ostenditur nec esse signum vilius gradus, vel officij Leuitici; nam viris doctis quantumvis nec sacerdotibus nec Leuitis aut lectoribus, id erat concessum.

Ad aliud dico Christum non eiecit vendentes ex potestate sacerdotali Leuitica sed tanquā Prophetam legitimam ad id habentem auctoritatem.

Notandum 2. Melchisedech fuisse verum & purum hominem. Quòd fuerit verus homo patet Genes. 14. vbi dicitur, *at verò Melchisedech rex Salem proferens panem & vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi.* ex eo enim quòd fuerit rex & sacerdos satis constat fuisse hominem, idque docent varij Patres contra quosdam hereticos dictos Melchisedechianos, qui asserbant Melchisedech fuisse virtutem quandam Christo superiorem. Quòd verò fuerit purus homo ex eo patet, quòd sit de fide solum Christum inter homines non esse purum hominem.

Notandum 3. Melchisedech fuisse verum sacerdotem; quòd patet ex Gen. 14. citato. psalmo 109. & Apostolo ad Heb. 5. & 7.

Nec refert quòd nomen Hebræum *מלך* Cohen in hebraico positum in genesi supra, significet etiam principem: nam ibi debet significare sacerdotem, cum prius fuerit dictum, *Melchisedech rex Salem.* Adde quòd nisi eo loco significet sacerdotem, sensus non constet. verbis gratia, si dicatur, *Melchisedech rex Salem proferens panem & vinum* (erat enim princeps altissimi), siue vt in hebræo, *& ipse princeps altissimi* benedixit ei. Videri potest dub. 3. de sacrificio, vbi id fufius ex scriptura & Patribus ostendimus.

Cui communi Patrum sententiæ non repugnat Anacletus epistola 2. dicens, *inimū sacerdotij fuit Aaron, licet Melchisedech prius sacrificium obtulerit, & post hunc Abraham, Isaac & Iacob, sed hi spontanea voluntate assenserunt.* Non inquam repugnat, quia non vult negare Melchisedech fuisse sacerdotem, sed solum docere non fuisse cum vnctione & ex-

ternis

ternis quibuldam ceremonijs, eò quòd tale genus sacerdotij initium sumpserit ab Aaron, his prenotatis explicandum restat qua ratione Christus dicatur sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Dicitur ergo sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, non quòd eius sacerdotium sit eiusdem rationis cum sacerdotio Melchisedech, vel quòd ex eo deriveretur; sed quòd peculiari quadam ratione fuerit præfiguratum per sacerdotium Melchisedech, secundum quod in Scriptura introducit, ut fusiè Apost. ad Heb. 7. quòd scilicet Christus & eius sacerdotium optimè representetur in cõditione personæ Melchisedech. 1. Melchisedech, id est ac Rex iustitiæ, quòd optimè convenit Christo, qui rex est omnis iustitiæ. 2. idẽ Melchisedech erat rex Salem, id est, pacis, quòd etiam optimè Christo convenit: qui nos æternò Patri reconciliavit & pacẽ nobis adduxit. 3. Melchisedech dicitur sine patre, sine matre, sine genealogia; non quòd patre vel matre caruerit, sed quia Scriptura nunquam id indicet: cum enim in Genesi recensentur aliorum generationes eorumque initium & finis; quando occasione Abrahæ agitur de Melchisedech, nihil simile recensetur; quòd factum est ut in eo esset figura Christi, qui quia Deus est sine matre, quia homo sine patre, & cuius generatio est inenarrabilis: item ut aliquo modo ostendatur quòd Christus non acceperit sacerdotium ex successione sicut sacerdotes Leuitici. 4. neque initium neque finis Melchisedech ponitur in Scriptura, & proinde neque ponitur finis sacerdotij ipsius, in quo optimè assimilatur Christo qui manet sacerdos in æternum. 5. sacerdotium Melchisedech fuit excellentius Aaronico, cum Melchisedech benedixit Abrahæ; sine illa autem contradiçione, quòd minus est à meliore benedictio, ut ait Apostolus ad Heb. 7. 2. cum ab eodem Abrahamo decimas acceperit, ut patet ex cap. ad Hebr. citato. Ex quo constat quòd Gen. 14. Abraham decimas dedit Melchisedech; quòd & ex illo cap. potest colligi: nam Abraham spolijs onustus non indigebat alienis; igitur non dedit Melchisedech decimas Abrahamo, sed cõtrà Abraham dedit Melchisedech, & quidem in agnitione superioritatis. & ita tribus Levi & sacerdotes Aaronici fuerunt in Abrahamo decimati, & quòd inde sequitur, Melchisedech fuit excellentior sacerdotibus Aaronicis, obiger.

Notandum Christum non fuisse in Abrahamo decimatum, quia non continebatur in lumbis eius secundum seminalem rationem, sed tantum secundum corporalem substantiam.

Præter has repræsentationes quas ponit Apostolus ad Heb. 7. sacerdotium Melchisedech in eo etiã repræsentat sacerdotium Christi, quòd panem & vinum in sacrificiũ obtulerit. Melchisedech panẽ & vinum in sacrificiũ obtulisse docent plures Patres, quorum sententiæ referuntur dub. 3. de sacrificio; & videtur patere ex Scriptura: nam Gen. 14. nõ videtur ad aliud introduci quòd Melchisedech fuerit sacerdos altissimi, quàm ut insinuetur eum protulisse panem & vinum in sacrificium. 2. quia milites Abrahæ abunde cibos habebant, nec alienis indigebant, ut patet ex loco Genesii citato; unde Melchisedech non habuit necesse illis panem & vinum præbere in refectionem. 3. cum Scriptura toties faciat mentionem sacerdotij Melchisedech, mirum esset si nusquam meminisset sacrificij illius; non autem meminit alio loco. Idem non obscure potest colligi ex Trid. sess. 22. cap. 1.

Dices Apostolus e. 7. ad Heb. citato nullam facit mentionem huius similitudinis; cum tamen accurate enumeret ea quibus Melchisedech assimilatur Christo.

Resp. non idcirco eam prætermisisse quòd existimavit Melchisedech non obtulisse panem & vinum in sacrificium, atque adeò iudicavit Christum non sacrificasse sub speciebus panis & vini; sed quòd id ad illius institutum non magnopere faceret, pro quo

Notandum Apostolum in ea parte epistolæ potissimum intendisse explicare necessitatem sacrificij cruenti propter infirmitatem sacrificiorum Aaronicorum; ad hoc autem non erat necesse quidquam dicere de sacrificio incruento vel eius typo. 2. ex prærogativa Melchisedech supra sacerdotes Aaronicos, intendisse ostendere prærogativam Christi supra eosdem, ad quòd etiam nullo modo deserviebat referre quòd Melchisedech panem & vinum obtulerit; cum non videatur excellentius offerre panem quàm vitulum, fieri etiam potuit quòd noluerit Apostolus explicare tantum mysterium Iudæis utpote minus capacibus.

Querens cur Christus non etiam dicatur sacerdos secundum ordinem Aaron; cum eius sacerdotium fuerit repræsentatum per sacerdotium Leuiticum.

Resp. quia Aaronicum sacerdotium carnali successione obtinebatur, & permanebat in sola Aaronis posteritate; sacerdotium autem Christi non fuit ex successione. Adde quòd sacerdotium Aaronis erat abolendum per sacrificium crucis, sacrificium autem Melchisedech non tam fuit abolitum quàm perfectum, & ita sacerdotium Christi æternum non censetur repræsentari per sacerdotium Aaronicum.

D V B I U M I.

Vtrum Christus iure hæreditario fuerit rex Iudæorum?

CVM Christus in varijs fuerit per Melchisedech figuratus, ut hætenus est demonstratum, petitur an etiam fuerit in regia potestate, ita ut quemadmodum Melchisedech simul fuit sacerdos & rex, similiter & Christus fuerit rex in quantum homo: constat enim eum tanquam Deum supremam in res omnes habere potestatem titulo creationis & conservationis.

Petit autem peculiariter præsentis dubio an fuerit rex Iudæorum titulo hæreditario. Afferunt enim Armacanus li. 4. qq. Armeniacarum q. 16. & aliquot alij citati à Vasques disp. 87. cap. 1. Negat verò communis Doctorum sententia, & merito; cum prior sententia nullo solido nitatur fundamento. Præterea constat regiam potestatem durante Christi adventum intercidisse in populo Iudaico: nam Machabæi fuerunt duces populi, quos dici nequit iniuste v'supasse huiusmodi potestatem; igitur non potest dici Christum fuisse regem per devolutionem ipsius tituli ad illum.

2. non potest ostendi quòd B. Virgo fuerit orta ex Davide per primogenitos Salomonis continuã seri; vel, quòd ijs deficientibus maiores B. Virginis in ius regni successerint sine interruptione usque ad ipsam; neque potest ostendi quòd illa ius regni in filium transulerit.

Idem discursus fieri potest de Iosepho, de quo nullo efficaci argumento potest ostendi quòd continuã serie descenderit ex ijs quibus ius re-

Cur Apostolus non meminerit huius similitudinis.

Quæstione. Cur Christus non dicatur sacerdos secundum ordinem Aaron.

Sensus quæstionis.

Afferit Armacanus & aliqui alij.

16. Negativa præfertur, & est communis.

gni competebar. Et quamuis id probaretur, non sequeretur Christum fuisse regem iure hereditario; cum enim non fuerit filius Iosephi, neque debuit esse eius haeres in regno; nec potest dici quod ei successerit ratione adoptionis, quia non potest villo modo probari quod Iosephus illum adoptauerit: & quamuis illum adoptasset, non potuit illum transferre ius regni (si quod adhuc restabat in gente Iudaeorum) cum praedictio eorum qui debebant legitime succedere.

17.

Ierem. 22.

Eadem communis sententia solet etiam probari ex cap. 22. Ierem. ubi de Iechonia dicitur: *scribe virum istum sterilem, ut iam qui in diebus suis non prosperabitur; nec enim erit de semine eius, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Iuda.* Aliqui tamen censent infirmam esse probationem, eo quod ex illo loco Scripturae solum habeatur filios Iechonia non fessuros in diebus eius; alioquin Zorobabel eius nepotem praefuisse populo. Verum non videtur contemnenda probatio; cum & Zorobabel non praefuerit titulo regio, & postmodum successerint alij qui non fuerunt de tribu Iuda.

Christus fuit spiritaliter Rex Iudaeorum.

Pro priori sententia obijci possunt in speciem varia loca Scripturae: sed ea intelliguntur de spiritali Christi regno, quod scilicet is spiritaliter fuerit Rex Iudaeorum, & quod Deus ei dederit sedem David patris eius, scilicet spiritaliter, eo quod modo spiritali regnet.

DVBIUM II.

An alio titulo habuerit directam potestatem temporalem rerum mundanarum?

18.

Indirecta habuit Christus, ut summus sacerdos.

DIcitur & *directam*, quia saltem indirecta ei tanquam supremo sacerdoti est concedenda; cum sit ei concedenda potestas disponendi de rebus temporalibus quatenus ad finem spirituales conducit; in perfecta potestas supernaturalis includat potestatem disponendi de temporalibus quatenus ad ipsius finem requiritur. De potestate directa duae sunt sententiae.

De directa negat Victor. Medin.

Prior negat Christum eam habuisse. ita Victorius relectione 1. de potestate Ecclesiae quaest. 5. numer. 16. Medin. infra quaest. 59. articulo. 4. & alij

Asserunt plurimi: & verius.

19. Eam habuit rationes unionis hypostaticae.

2. asserit fuisse regem temporalem omnium regnorum mundi, & directam in res omnes habuisse potestatem temporalem. Ita plurimi tam antiqui quam recentiores. ubi

Notandum 1. Christum non habuisse hanc potestatem electione humana, vel simili aliquo titulo humano successione &c. sed longe eminentiori, scilicet ratione unionis hypostaticae naturae humanae cum Verbo; ratione cuius natura humana ad tantam euectam est dignitatem, ut pro suo nutu posset Vniuersum gubernare, hominibus & Angelis leges praescribere, de rebus totius Vniuersi disponere, & per consequens omnes deberent Christo etiam ut homini obedire.

Per hanc tamen potestatem non excludit dominia principum secularium.

Notandum 2. Christum per hanc potestatem non exclusisse vera & proprie dicta dominia hominum & principum secularium, unde etiam posita huiusmodi potestate in Christo, principes non sunt sua potestate priuati, sed vere remanserunt cum eadem auctoritate quam ante Christum na-

tum habuerunt. Quemadmodum enim dominium Dei non excludit inferiora aliorum dominia & iurisdictionem: ita dominium excellentie in Christo non excludit dominia inferioris rationis alijs competentia, quamquam fatendum sit illa dependere a voluntate saltem permissiva Christi ut in alijs permaneant.

Notandum 3. Christum Dominum non fuisse usum hac potestate dum in terris versaretur, unde cum Ioannis 6. turba vellet illum in regem eligere, fugit in montem. 2. noluit controuersias de rebus temporalibus dirimere. 3. nullas principibus leges imposuit, neque eis praescripsit modum gubernandi; neque reges sunt Christi vicarij, sed eodem iure sua iurisdictione & potestate uti possunt, quo permittuntur iure naturae. haec omnia possunt confirmari ex eo quod cum Christus versaretur in terris pauperem vitam ageret & paucarum rerum usum habuerit.

Haec sententia videtur omnino verior, quae pluribus scripturae locis probari solet, non tamen ita efficaciter, cum illa apte possint explicari de regno Christi spirituali; ut cum dicitur *Rex regum*.

Minus etiam apte probatur ex Patribus; hi enim, ut bene expendit Vasquez disput. 87. cap. 3. vel non agunt de temporali Christi regno, vel non agunt de Christo secundum naturam humanam.

Itaque videtur solum probari ratione posita in 1. notabili; ex qua patet quod Christo etiam secundum naturam humanam omnia deberent obedire, & is de omnibus posset disponere &c. patet etiam quod licet exercitium illius potestatis se posset abdicare, nullo tamen modo posset ipsam potestatem; cum non competere ei liberum, sed necessarium consequeretur ipsam unionem hypostaticam naturae humanae cum Verbo: quae potestas nullam dicit imperfectionem & optime consistit cum paupertate Christi & abdicatione usus rerum terrenarum. Quamuis enim propter finem Incarnationis non fuerit conueniens Christum sese immiscere rebus temporalibus, cum deberet docere contemptum honorum & rerum terrenarum; ipsa tamen potestas absque ulla diminutione status perfectionis potuit illi competere & reipsa competuit.

Ex his abunde satisfactum est ijs omnibus quae pro priori sententia solent adferri, quae nihil vident contra secundam sententiam, ut facile colligi potest ex dictis.

Petes an Christus quia homo habuerit dominium in res singulas vniuersi?

Doctores qui adherent secundae sententiae videntur in hoc puncto tacite sequi partem affirmatiuam. Vasquez tamen negatiuam amplectitur disp. citata cap. 6. Primum ex eo quod non liceat colligere: habuit potestatem regiam temporalem; ergo habuit dominium rerum singularum. 2. Ioannes 22. extrau. *Cum inter nonnullos*; & extrau. *Quia quorundam*: de verborum significatione tradit Christum interdum habuisse dominium & proprietatem aliquarum rerum: supponit ergo non habuisse omnium rerum ratione unionis; nisi enim id supponeret, non apte suam responsionem restringeret. 3. *Et ut certo, si duobus, ff. commodati vel contra*; dicitur non posse esse duos dominos eiusdem rei aut partis illius in solidum.

Verum propter haec & similia argumenta non videtur

20. Christus non est vniuersi hac potestate dum versaretur in terris. Ioan. 6.

Christus non potuit istam potestatem se abdicare. 21. Hec potestas bene consistit cum paupertate Christi.

Quaest. Habent ne quia homo dominium in res singulas. Neg. Vasq.

Extrau. Cum inter nonnullos.

22. L. Si ut ut.

videtur recedendum à communiori Doctorum sententia: nam vno hypostatica quæ præbet Christo sufficientem titulum potestatis regie & temporalis in regna mundi, potest eidem tribuere titulum dominij in res singulas; quod dominium non sit humanum, sed excellentius, & medium inter diuinum & humanum; sitque dominium cuiusdam excellentiæ infra diuinum, quod non destruat aliorum dominia, sed illa secum compatiatur: quemadmodum potestas regia in Christo sese compatiatur cum potestate aliorum regum. Et quamuis non sequatur, Christus habet potestatem regiam; ergo habet dominium rerum singularum: tamen verumque potest ei concedi, eò quod titulus sufficiens ad vnum, in illo etiam sufficiat ad alterum. vnde patet responsio ad primam rationem.

Ad secundam Resp. Ioannem 22. nullo modo suare sententia Vasquez; nam omittis quorundam solutionibus, dico quod priori extrau. solum vellet definire Christum aliqua habuisse titulo humano dominij donatione, emptione; quorū vsum etiam habuerit: qua ratione constat non habuisse omnia, nec vllus id asserit; non verò definit quicquam de domino alterius generis, quod citra vsum Christum habuit. Idem est sensus Pontificis in altera extrau. cum in ea solum propugnet quod in præcedente statuerat & definiuerat.

Ad 3. Resp. id verum esse de dominio eiusdem rationis: non verò quando ipsa dominia sunt diuersæ rationis, vt contingit in dominio Christo competente ratione vnionis hypostaticæ suæ humanitatis cum Verbo, respectu dominiorum hominum particularium.

QVÆSTIO XXIII.

De adoptione Christi.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deo conueniat adoptare?

AFFIRMAT. quod in sequentibus explicabitur.

ARTICVLVS II.

Vtrum adoptare conueniat toti Trinitati?

AFFIRMAT.

ARTICVLVS III.

Vtrum adoptari sit proprium rationalis creature.

AFFIRMAT. Circa hos tres articulos Notandum nomen adoptionis translatum esse ab humanis ad diuina. Porro adoptio est liberalis acceptio personæ extraneæ in filium (adde, vel nepotem) per quam datur ius ad hereditatem. Adoptio hæc legibus introducta est ad solatium eorum, qui proles seu filios naturales ex se non valent suscipere; ita vt per hoc medium defectus naturæ aliquo modo suppleatur; quamuis postmodum sit concessum adoptare ijs qui filios procreant.

Dicitur *liberalis* seu gratuita; si enim tribuatur ius alicui ad hereditatem ex debito, vel oneroso aliquo contractu, is non censetur adoptari, sed alio titulo ei competet ius ad bona alterius.

Dicitur *persona extraneæ*; quia persona naturaliter alium contingens non adoptatur secundum eum gradum quo contingit, & secundum quem competit ei ius ad hereditatem alterius; vnde filius naturalis non adoptatur in filium. Addidi *secundum eum gradum quo contingit*, quia nepos potest in filium adoptari, secundum quem gradum est persona aut extranea. Porro persona quæ adoptatur non solum ante adoptionem est extranea, sed etiam post adoptionem remanet extranea adoptanti.

Cum verò adoptio sit quidam contractus per quem adoptatus subditur aliquo modo adoptanti, requiritur vt is qui adoptatur in illud consentiat: qui, si sit sui iuris, debet per se consentire; si verò non sit sui iuris, debet consentire saltem per alios.

Ex his satis constat resolutio articuli primi, quod scilicet Deus aliquos adoptet, cum liberali & gratuita sua voluntate aliquos assumat in filios, quibus tribuat ius ad suam hereditatem, æternam scilicet beatitudinem, ad quam ex naturæ suæ conditione nullum ius habent.

Patet ex scriptura quæ nomine adoptionis in hac significatione vtitur ad Rom. 8. *accepistis spiritum adoptionis filiorum.* ad Gal. 4. *misit Deus filium suum factum ex muliere factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* ad Ephes. 1. *prædestinavit nos in adoptionem filiorum.* De eadem intelligitur quod habetur Ioannis 1. *deus eis potestatem filios Dei fieri &c. qui ex Deo nati sunt.* & 1. Ioannis 3. *videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus.* videri potest Trid. sess. 6. cap. 4. *Adoptat autem Deus cum iustificationis gratiam infundit, vt patet ex locis scripture citatis.*

Constat 2. quod docet S. Thom. art. 3. scilicet solas creaturas capaces rationis posse adoptari, quia illæ solæ sunt capaces diuinæ hereditatis & gratiæ.

Porro omnis creatura rationalis est capax vt adoptetur; & non soli prædestinati possunt esse filij Dei adoptiui, sed etiam præsciti, scilicet pro eo statu quo iusti sunt. Imò peccatores qui sunt prædestinati, pro eo tempore quo sunt peccatores non sunt filij Dei adoptiui, vt constat ex terminis, cum pro eo tempore sint inimici Dei, & si in eo statu decederent, essent in æternum damnandi.

Ex his vterius fit, vt non tantum iusti noui Testamenti sint filij Dei adoptiui; sed etiam iusti veteris Testamenti, licet hi non possent hereditatem adire ante solum pretium humanæ redemptionis, & licet sub lege haberent statum seruilem. Nec obstat quod Christus dicatur venisse vt adoptionem filiorum reciperemus; quia eam per Christi merita receperunt.

3. Ex his fit vt non soli homines sint capaces filiationis adoptiue, sed etiam Angeli: cum etiam hi sint capaces regni cœlestis, ad quod tamen ex vi suæ originis ius non habent, sed ex libera Dei voluntate ad illud assumuntur. Nec obstat quod boni nunquam peccarint, quia ad adoptionem non requiritur vt persona aliquo tempore fuerit per peccatum à Deo elongata; sufficit quod ex sua conditione non habeat ius ad hereditatem illius.

Explicatur definitio partis.

Adoptare conuenit Deo.

Rom. 8. Gal. 4.

Ephes. 1. Ioan. 1.

1. Ioan. 3.

3.

Solæ creaturæ rationales possunt adoptari.

Adoptiui esse possunt, etiam præsciti, pro eo tempore quo sunt iusti.

Iusti veteris testamenti etiam sunt adoptiui.

4.

Propter